



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 127. Æneæ Sylvii exhortatio ad Principes adversus Turcas

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ex cuius relatione discimus, quod Prin- Sæcul. XV.  
A.C. 1453.  
cipes Peloponnesi, Demetrius & Thomas  
Constantini Imperatoris fratres, cognita  
urbis hujus amplissimæ deprædatione, in  
Italiam cum Græcorum clarissimis auffu-  
gere voluerint, sed a Mahomete in fœ-  
dus, & amicitiam recepti, mutato con-  
silio substiterint, quinimo ab eodem e-  
tiam suppetias acceperint, ut harum ope  
Manuelem Cantacuzenum, quem rebel-  
les eorum subditi sibi Principem consti-  
tuerant, ad obsequium cogerent. Hæc  
Phranzes refert, ad sequens tamen bien-  
num rejicit.

### §. CXXVII.

#### *Æneæ Sylvii exhortatio ad Principes adversus Turcas.*

Cuncti Principes Christiani, præcipue  
vero, qui Sultani ditionibus vicinio-  
res erant, aut imminentibus Ecclesiæ  
malis commoti, aut de rebus suis potis-  
simum solliciti, ad Constantinopolitanæ  
urbis excidium vehementer doluerunt.

Nicolaus Papa, qui haec tenus, licet irrito *Æn. Sylv.*  
conatu, auctoritatem suam sæpius inter- epist. 155:  
posuerat, quo pax inter Principes com- & 163.  
poneretur, nunc id instantius urgere cæ-  
pit. Ipse quoque Fridericus Imperator  
diversos ea de re habuit conventus, tam  
Pontificis sollicitationibus, quam *Æneæ*

Bb 4      Sylvii

Sæcul. XV. Sylvii Sènensis Episcopi hortationibus stimulatus, qui pariter ad Nicolaum Cardinalem S. Petri die vigesima prima Julii

A.C. 1452. scribens, eundem rogavit, quatenus sumum Pontificem, atque universum Cardinalium Collegium induceret, ut in tantis rerum angustiis omnes vires colligerent, neque labori, neque sumptibus parcerent, quo gravi adeo malo remedium quærerent. Inde hortabatur, ut Reges, ac Principes ad quemdam vocarentur locum, illisque mala, quibus modo Religio pressa ingemiseret, exponerentur, ut de opportunis solidæ pacis inter Principes stabiliendæ mediis deliberatio fieret, tandemque sacram ubique militiam denunciandi necessitas ob oculos poneretur; cum omni ope, & opera in id incumbere jam oporteret, ut infissimi Ecclesiæ hostes ab ejus gremio ejicerentur. Addebat, egisse jam sese hac super re cum Imperatore, illiusque animum æque ac ceterorum Germaniæ Principum ad suscipiendam ejusmodi expeditionem oppido propensum invenisse, nec dubitandum, quin in aliorum quoque Principum cordibus idem ferveret studium; ad id enim Hungaros, Bohemos, atque Polonos ipsa loci, hostis, ac proin etiam periculi vicinitate admonitum iri; cum ergo Christiani Turcis longe superiores forent, de cetero, quo mi-

nus

nus in eos arma verterent, nihil obstat, **Sæcul. XV.**  
 nisi eorum vel socordiam, vel dissensio- **A. C. 1453.**  
 nem; utraque ergo rejecta, si non auri,  
 vel inanis gloriæ cupiditate stimulati, sed  
 unice Fratrum suorum salutem, ac fidei  
 Christianæ incrementum procurandi stu-  
 dio accensi arma sumerent, Deum quo-  
 que abs dubio potenti ope præsto futu-  
 rum, suamque Ecclesiam defensurum.

### §. CXXVIII.

#### *Vehemens Epistola Æneæ Sylvii ad Papam.*

Misit quoque Æneas Sylvius literas ad ipsummet Papam, in quibus eidem ob oculos ponebat, ipsi præ reliquis Constantinopolitanæ urbis excidium magis esse deplorandum; si vero omnibus viribus Turcas propulsare, urbemque illis eripere negligeret, eundem nomini suo turpissimam inusturum maculam; nihil enim Pontificia dignitate indignius fore, quam si in fastis ejus referretur, sub Pontificatu Nicolai V. urbem Constantinopoli- tanam a Turcis fuisse captam, licet ipse miseræ civitati opem ferre, omni conten- tione studuisse, sicque famam ejus absque propria culpa obscurandam. Hortabatur demum Papam, ut ea sedulo exequeretur, quæ per Cardinalem S. Petri proposuisset Imperator; hunc enim, Syl-

B b 5

vius